

Band XI., Nr. 5232, Seite 212-213

Abt Konrad von Maulbronn, Ritter Reinbot von Neipperg und Heinrich von Neipperg genannt von Lauffen entscheiden als Schiedsrichter den Streit um das Erbe des Reinbot genannt Jeger von Neipperg.

Ohne Ortsangabe, 1299. Februar 12.

Nos frater Cunradus abbas de Mullenbrunnen, Reinboto miles de Nyperg et Henricus de Niperg dictus de Lofen arbitratores seu amicabile compositores electi communiter a partibus in causa quam . . prior et . . conventus fratrum Predicatorum domus in Winpina moverunt seu movent Gerdrudi relicte quondam Reinbotonis dicti Jeger de Niperg super quarta parte unius domus seu aree site in Niperg, super quarta parte unius iugeris prati et super dimidio iugere prati in Zimerin¹ sitis ac super uno iugere et dimidio iugere vineti sitis iuxta lacum et super duabus quartis partibus duarum vinearum ibidem sitarum nec non et super dimidia parte agrorum in villa Swegern sitorum ac super aliis quibuscumque cognitis iure et voluntatibus partium sana etiam deliberatione arbitrando pronuntiamus et pronuntiando arbitramur in hiis scriptis sub periculo cause et sub pena quinquaginta librarum Hallensium in compromisso expressis, quod videlicet predicta relicta bona prescripta debet pro tempore vite sue possidere pacifice libere et quiete adiectis condicionibus subnotatis, videlicet quod sepedicta relicta fratri Cunrado de Niperg ordinis Predicatorum domus predictae viginti quinque solidos Hallensium in festo beati Johannis Baptiste et viginti quinque solidos in epiphania domini quamdiu idem frater C. vixerit tenetur annuatim fideliter presentare nomine pensionis et unam libram cere prefatis Predicatoribus antedicta relicta in anniversario mariti eius singulis annis presentabit. Sane prefato fratre C. viam universe carnis ingresso relicta predicta a decem solidis Hallensium predictae pecunie fratri C. presentande erit penitus absoluta, ita quod dictis Predicatoribus duas libras Hallensium dumtaxat, unam scilicet libram in die anniversarii mariti ipsius reliquam vero libram in festo beati Johannis Baptiste prenotato pro annua consolatione conventus fratrum Predicatorum predictorum sine contradictione qualibet assignabit pro tempore vite sue. Cum vero eadem relicta de medio fuerit evocata sepedictis fratribus bona superius annotata cedent et cedere debent fraude et dolo penitus circumscriptis. Recognoscimus etiam et arbitrando pronuntiamus et pronuntiando arbitramur quod prefate

¹Dürrenzimmern.

II

partes non per interpositas personas sed per se in nos tamquam in veros arbitros et compositores compromiserunt sub penis antedictis, quod ratum habebant utrobique quod per nos fuerit et est pronuntiatum seu etiam arbitratum. Alioquin pars nostro arbitrio arbitrationi seu pronuntiationi contraveniens nobis arbitris prenotatis quinquaginta libras Hallensium persolvere tenetur nomine penarum prescriptarum. In cuius rei testimonium et evidentiam firmiorem nos prefatus frater C. abbas de Mullenbrunnen et Reinboto miles de Niperg prenotatus² una cum sigillis predictorum virorum religiosorum prioris et . . conventus Predicatorum in Winpina presentibus duximus apponenda. Ego vero H. de Niperg dictus de Lofen antedictus cum proprio sigillo caream sigillis predictorum domini . . abbatis de Mullenbrunnen et Reibotonis militis sepedicti sum contentus. Nos quoque frater . . prior et . . conventus Predicatorum domus Winpinensis nostra sigilla presentibus duximus apponenda in testimonium similiter omnium premissorum.

 Datum anno domini MCC nonagesimo nono, feria quinta proxima ante festum beati [Va]lentini.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.
 Ital. Perg. Siegel abgegangen. Die Urkunde ist am unteren Rand beschädigt.

²Fehlt: sigilla nostra.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

HStA Stuttgart

Signatur/Titel des Originals:

A 601 U 134

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Aussteller:

Konrad; Abt von Maulbronn

Ortsindex:

Dürrenzimmern Wohnplatz (1877)
 Dürrenzimmern, Brackenheim, HN
 Lauffen am Neckar Wohnplatz (2024)
 Lauffen am Neckar, HN
 Maulbronn Wohnplatz (7043)
 Maulbronn, PF
 Schloss Neipperg : Neipperg, Brackenheim HN
 Schloss Neipperg Wohnplatz (1884)
 Schwaigern Wohnplatz (2195)
 Schwaigern, HN
 Wimpfen am Berg Wohnplatz (1852)
 Wimpfen am Berg, Bad Wimpfen, HN
 Wimpfen im Tal Wohnplatz (1853)
 Wimpfen im Tal, Bad Wimpfen, HN